



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xcviii. Ad inflationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

pristinū cibi appetitum, si suillā carnem aceto acerrimo perfusam in treis partes diuisam dederis, aut murem largiter edendum præbueris: recreabitur accipiter, & ipse restituetur appetitus.

Ad inflationem.

INFLATUR sæpe accipiter, cum aut ab altero accipitre vulneratur, aut in spinosum locum ingressus spinis sauciatur. Ita curabitur. Eius corpus totum aqua egelida perfundatur, pellis inflata acicula ita leuiter compungatur, ne caro attingatur, & pernicioso transmissio humore tumor remittetur. Quod si inflatio permanet, theriacam liquidam magnitudine fabæ vino veteri resolue, perfunde accipitrem, & sanus fiet. Si vel inguen, vel axillæ ab ictu tumeant; aqua rosacea & cera igne lento liquentur. adjiciatur symphytum minutim conlectum: simul omnia subigantur, plagæ imponantur. Sed si gula intumescit, acicula referetur, vinoque oleo misto calido madefiat, & bene habebit. Ita se affectum ostendit, cum ei subitæ vertigines oboriuntur, vt consistere nequeat,

K

eidem exhibenda est par portio glycyrrhizæ & maluæ.

Stomacho male affecto remedium.

SI stomachus malè affectus sit ex noxio humore, rosaceum vetus cum carne accipitris victui exhibeantur. Ita affectum cognosces, cum toto die videbis eum oscitantem. Cui etiam remedium erit laser Cyrenaicum magnitudine grani piperis cum carne datum.

Stomachus quando non est cibi tenax & debilitatus, fastidit cibum, unde cognoscatur, quomodo curetur.

SEPE nimio labore defatigatus, aut male gestatus, aut contra auem fortiter præliatus, aut offensus in aliqua corporis parte debiliori, aut vinculo inuerso allisus ad perticam, dissoluit stomachum, in cruditatemque incidit. Cognoscitur affectus primum, cum pro sua consuetudine non edit, aut cibum omnino non capit, aut lente capit, aut etiam lentius volat, aut sedet, aut emissus ad exiguam venationem omnino volare nequit, aut cum ante pedes